CAPUT XXXII.

De Medicamentis Lenientibus.

§. 1.

Lenientia quid sint?

LEnientia Remedia, aliàs *Laxantia*, *Eccoprotica*, *Hypagoga*, *Minorativa* aut *Benedicta* appellata, sunt, quæ saburram humorum vitiosorum in Ventriculo aut Intestinis coacervatam, sine humorum in corpore circulantium perturbatione per alvum placidè educunt. Hinc Medicamenta talia in omnibus Morbis sine noxâ exhiberi tutò possunt, ubi vel Alvi adstrictio id urget, vel sordes primarum viarum copiosæ aliorum humorum efficaciam impediunt, vel alia symptomata & signa à fortioribus Purgantibus abstinendum esse jubent.

A lenioribus purgantibus parum differunt.

§. 2. Sic ergo *Lenientia* à *lenioribus Purgantibus*, quæ nimirum vim purgantem in mitiori gradu obtinent, non adeo distingui possunt aut debent, tantoque id minus, quòd inter *Minorativa* subinde occurrant, quæ delicatioris texturæ Homines etiam validè purgant. Ita novimus aliquando Feminam, quæ ab haustu ℥ij. *Olei Amygdalarum dulcium* plus quàm quinquagies ad sanguinem usque vomuit, & pluries quoque per alvum dejecit: Nec ignota alia Femina, quæ à *Syrupo Violarum ad* ℥ij. exhibito, non solùm frequenter & copiosè per alvum purgata fuit, sed etiam ulterius præ insignibus ventris torminibus in Convulsiones incidit, simileque etiam à *Syrupi Rosarum solutivi simplicis* exiguâ dosi, unius videl. unciæ, aliisque lenientibus experta est.

§. 3. Materia *Lenientium* varia est, pro varietate principiorum & elementorum illa componentium. Sic alia sunt *purè aquosa* quæ vix aliis quàm aqueis parti-

particulis constant, quemadmodum est *Aqua fontana simplex* affatim & tepidè hausta, ab illis præprimis Hominibus, qui ob defectum potûs excrementa crassa ac lenta vel planè dura obtinent. Idem præstant *Aquæ Lactucæ, Malvæ, Portulacæ, Violarum purp. Mercurial. Nymphæa, Parietariæ, Atriplicis*, &c. destillatæ, in quibus præter aqueum elementum vix quicquam reperire est, si excipias aliquales nitroso-salinas, subtilesque particulas, quas & in *Aquâ fontanâ* reperire licet.

§. 4. Alia sunt ex *aqueo elemento* plurimo & paucis *mineralibus salibus* composita, quemadmodum existunt *Acidulæ, Thermæ, Aquæ salsulæ Rhæticæ, Acidulæ Egranæ Bohemicæ, Aquæ minerales Valsenses Gallicæ, Serum Lactis*, & *varia Salia*, v. gr. *Sal polychrestum, Sal Anglicum*, aut quodvis aliud Aquâ solutum & propinatum. Huc etiam referendi sunt *Succi Plantarum* quarundam, præprimis *nasturcinarum* aut *emollientium*, *v. gr. Sempervivi, Nasturtii, Beccabungæ, Cochleariæ, Atriplicis, Lactucæ, Portulacæ, Violarum, Malvæ, Mercurialis*, qui certè plurium unciarum dosi ad Alvi lenitionem, vel semel, vel aliquoties pro re natâ, hauriri possunt. *Aquea mineralia.*

§. 5. Alia *minorativa aqueo principio*, cum *mucilaginositate* quâdam leniter salino-sulphurea juncto, gaudent, & talia sunt *Oleracea* pleraque *alimentosa*, nitroso sale inprægnata, verb. grat. *Spinachia, Beta, Brassica, Blitum, Lactuca, Portulaca.* Quo referendi sunt *Fructus* nonnulli, v.gr. *Mala armeniaca, persica, Melones, Cucumeres, Cucurbitæ, Poma acida, Pruna varii generis*, &c. *Aqueo-mucilaginosa.*

§. 6. Alia sunt sulphureo-aqueo- & tartareo simul elemento prædita, v. gr. *Vina à fæcibus nondum probè depurata, Mustum, Mel bullitum* seu *Hydromel, Uvæ recentes* sive *maturæ*, sive non perfectè *Sulphureo-aqueo-tartarea.*

maturæ

maturæ, Poma, Pruna, Cerasa qualiacunque copiosè comesta.

Oleosa lenientia.

§. 7. Alia tandem *oleoso* maximè principio sunt instructa, quemadmodum recensentur *Oleum Amygdalarum dulcium, Olivarum, Lini, Butyrum, Lac,* & similia *unctusa* & *pinguia*, quæ partim unctuositate suâ Intestinorum canalem lubricant, ut fœculentam materiam non retineant; partim salinis in recessu particulis fibras nerveas ad excretionem stimulant.

Leni sale purgante prædita.

§. 8. Hisce coronidis loco etiam addenda, quæ *Sal leniter acre* & *purgans* obtinent, stimulandi virtute Intestinorum meatum expediens, v. gr. *Decoctum Herbæ Malvæ, Mercurialis, Atriplicis, Infusum folior. Senæ, Rhabarbari, Pulvis fol. Mercurialis, Senæ, Radicis* Mechoacann. *Syrupus Rosarum solutivus simplex, de Cich. cum Rh. Syrupus Florum Persicorum, Acaciarum, Tamarindi, Cassiæ pulpa, Manna, Anima Rhabarbari, Aloë, Pilulæ aloëticæ Francofurtenses,* similesque ex *Aloë rosatâ* aut *violatâ* concinnatæ, & exiguâ dosi exhibitæ.

Adstringentia improprie, vel per accidens alvum aperiunt.

§. 9. Quod si verò Adstringentibus v. gr. *Cydoniis, Pyris, Mespilis, Pomis*, post pastum sumtis, eadem vis laxandi alvum attribuitur, impropriè admodum hoc fit, quoniam styptica illa non nisi per accidens ad talem effectum contribuunt. Formulæ autem *Lenientium* possunt esse sequentes:

℞. *Olei Amygd. dulc. rec. expr.* ℥ij.
Sumatur cum Jusculo.

Vel ℞. *Ol. Olivar. bon.* ℥iij. *aut*
Lini ℥iß.
Capiatur cum Jusculo.

Vel ℞. *Pilul. Francofurt. num.* vij. *ad* x.
Sumantur ante Cœnam pro dosi. Ita Seri lactis caprilli cyathus bonus hauriatur pro dosi.

Vel

Vel ℞. *Seri Lact. vaccin. q. s. in quo coque Succi Tamarind.* ʒvj. *vel* ℥j.
Colatura pro dosi hauriatur.
Vel ℞. *Syrup. Rosar. solut. simpl.*
fl. Persic. ana ℥j.
M. ad Vitr. pro dosi.
Vel ℞. *Syrup. flor. Acac.* ℥iß.
Persic. ℥ß.
M. ad Vitr. pro dosi.
Vel ℞. *Pulp. Cass. rec. extr.* ℥ij.
Aq. fontan. q. s.
Solve lento igne, Colaturæ refrigeratæ adde Aq. Cinam. opt. ʒiiß.
M. ad Vitr. pro dosi.
Vel ℞. *Mann. calabr. opt.* ℥ij.
Aq. Cichor.
Plantag. ana q. s.
Super igne solve, Colaturæ adde
Julep. rosac. ʒij.
Aq. Cinam. ʒj.
M. F. Potio pro dosi.
Vel ℞. *Passul. laxativ.* ʒvj. *ad* ℥j.
D. ad Oll. Sumantur pro dosi.
Vel ℞. *Flor. Acaciar.*
Persicor. ana Mß.
Semin. Anis. ʒß.
Incis. & contus. coq. in s. q. Aq. font. Colaturæ ℥iiij. *adde*
Julep. rosac. ʒiij.
Aq. Cinam. buglossat. ʒiß.
M. ad Vitr. pro dosi.
Vel ℞. *Salis polychrest.* ʒiij.
Pulverisatum solve in s. q. Jusculi vel Ptisanæ, Potetur pro dosi.
Vel ℞. *Axung. porc.*

Pingued.

Pingued. anserin.
Ungt. de Arthanit. ana ʒij.
Muscerdar. ʒiß.
M. F. Ungtum Umbilico inungendum.
Vel ℞. *Sev. porc.* ℥j.
Butyr. cum Aloë mixt. ℥ß.
Ol. Colocynthid. ʒj.
M. pro inungendà Regione umbilicali.
Vel ℞. *Decoct. Herb. emollient.*
Salv. &
Meliss. ℥vj.
Elect. lenitiv. vel
Hier. picr. Logad. vel
catholic. ʒvj.
Ol. Olivar.
Lil. albor. ana ℥ß.
M. F. Clysma pro dosi.
Vel ℞. *Confect. Semin. Anis. laxativ.* ℥ß.
Comedatur pro dosi.
Vel ℞. *Herb. Malv.* Mj.
Mercurial.
Parietar. ana Mß.
Sem. Fœnic. ʒiß.
Incis. & contus. coq. in s. q. Aq. fontan. Colaturæ ℥iij. *adde*
Syrup. Rosar. solut. simpl.
Flor. Persic. ana ʒiij.
Aq. Cinam. buglossat. ʒij.
M. F. potio pro dosi.
Vel ℞. *Nitri Antimoniat. vel*
Salis prunell. vel
Absynth. ʒj.
Solve in s. q. Aq. fontan. aut *Malv.* & hauriatur pro dosi.
Vel ℞. *Ungt. de Arthanit.*

Butyr.

Butyr. ana ℥j.
M. ac Ventrem inunge.
Vel ℞. *Ol. Olivar.*
Juſcul. carnium. ana ℥vij.
M. F. Clyſter.
Vel ℞. *Decoct. Herb. emollient.* ℔j.
Mell. violac.
mercurial. ana ℥ß.
Ol. Lini ℥iß.
Nitri Antimoniat. ʒß.
M. F. Clyſter. tepidè injiciendus.
Vel ℞. *Mirobalan. chebul.*
emblic. ana ʒij.
Rhabarb. elect. ʒj.
Semin. Aniſ.
Cremor. Tartar. ana ℈iiß.
Inciſa & contuſa coque in ſ. q. Aq. font. Colat. ℥iij. *vel* iiij. *bibatur pro doſi.*

CAPUT XXXIII.

De Remediis Purgantibus.

§. 1.

P*Urgantia* ſive *Cathartica, generali* quidem vocis acceptione, ea deſignant Remedia, quæ quovis modo Maſſam ſanguineam, per has aut illas vias evacuando, depurant: *ſpeciali* autem ſignificatione indigitant Medicamenta per alvum & vomitum purgantia: *ſpecialiſſimâ* tandem & ſtrictiſſimâ acceptione illa tantùm, quæ per alvum excrementa ſordesque ſanguinis & humorum eliminant, ſignificant. *Quid purgantia ſint in genere?*

§. 2. *Cathartica* itaque Remedia hoc Capite tractanda ea appellamus, quæ non ſolùm primas *Cathartica ſpecialia.*